


CLEMENS XII PONT M

151

A D
CLEMENTEM XII.
PONT. MAX.
IN FUNERE
FRIDERICI AUGUSTI
SAXONICI
POLONIÆ REGIS
S. R. J. ELECTORIS
ORATIO
Habita in Quirinali Sacello

AB ÆNEA SYLVIO PICCOLOMINEO

Basilicæ Liberianæ Canonico, & a Pontificio ad honorem Cubiculo.

AD CLEMENTEM XII.
PONT. MAX.

ÆNEAS SYLVIUS PICCOLOMINEUS.



UM sit præclarè institutum P. B., ut magnis Regibus, qui & Ecclesiæ rem auxerint, suamve & voluntatem & fidem huic Sanctæ Sedi probaverint, vitâ functis, in Urbe Roma laudatis publicè honoratisque, justa solvantur, onus profectò maximum recepisse in me sentio, verba faciendi de FRIDERICO AUGUSTO, *Polonorum Rege magnanimo, cui de Christiana Republica optimè me-*

rito Christianorum communi nomine a Te Pontifice Maximo parentatum. Sed ubi magna se virtus offerat, non arte, non eloquentiâ opus est; simplex inconditumque dicendi genus, quod minimè suspiciosum, accommodatius videtur AUGUSTI *laudibus exprimendis: Accipias igitur Orationem Tu meam qualemcumque typis excusam, & quòd animum ad scribendum appulerim Te jubente, & quòd dixerim coràm Te, tuum illi nomen adscriptum sinas, ut auspicatiùs, & tuo periculo, ut ita dicam, in lucem publicam se committat. Illud ego precabor a Deo, ut qui maximum in Imperium Te misit, parem temporibus animi magnitudinem afferentem, faxit, neu parem cœptis atque virtuti desideres in Repub. administranda felicitatem.*

IN



Hieronymus Rosi inv. del. et ſculp.



N ea triſtitiæ atque luctus acerbitate, in quam incidimus deſiderio magnanimi ac præclariſſimi Auguſti Regis, inopinatâ morte Nobis erepti, erepti Saxonum Genti, ampliſſimo Poloniæ Regno, & Eccleſiæ magna de illo ſperanti, valebit fortaſsè magis ad acuendum, quàm ad extenuandum dolorem laudatio, quam tamen, cum ipſa virtus officium quaſi ſupremum expoſtulet, & Nos præcipuè debeamus tam bene de Nobis merito Regi, eam habiturus, in copia laudum, quæ tantæ tamque diverſæ ſuccurrunt, ut potiùs, quid præterire ſilentio poſſim, quàm quid proferre, ſollicitus eſſe debeam, illud exiſtimavi præſtandum, ne quidquam excidat mihi, quod etſi magnum, etſi admirabile, tamen & hoc Pontifice Maximo, & tam auguſtâ Concione, vel minùs dignum, vel ad hanc loci Sanctiſſimi Majeſtatem, vel ad hanc Funeris Religionem, non ſatis accommodatum videri poſſit. Vererer etiam, ne malè per me conſultum Auguſti laudibus videretur, ſi ego illarum, ut eſt in more inſtitutoque Oratorum, exordium ducerem a nobiliſſima, quâ profectus eſt, Gente, cujus capita & conditores in vetuſtatis caligine nuſquam apparent, niſi cum poteſtate & imperio, quorum præclara poſteritas acceptam gloriam a Patribus noſtra uſque in tempora propagavit, & tot in ſtirpes atque familias diducta, quandam ſibi videtur, ut ita dicam, immortalitatem adſtruere. Quapropter non ego

quidquam proferam Vobis de Witikindo Saxonum Duce fortissimo, & Regiæ Stirpis authore, quo uno Carolus Magnus in retundendo, perdomandoque, diutiùs adlaboravit, quàm, vel in reliqua submittenda Germania, vel in Italia pacanda, neque ad commendationem Augusti quidquam desumam, præter avitam gloriam Christianæ Religionis ab illo primùm in generosam Domum illatæ. Silentio tot ornamenta, tot Gentis decora præteribo, silentio tot bellatores egregios, qui propriis finibus erumpentes, Germaniâ peragratâ atque emensâ, & Oceanum prætervecti, peregrina Regna fundarunt. Non illos honoris causâ nominabo, qui vel Imperio potiti, vel tanto rerum fastigio digni sunt habiti, quorum unus & alter eâ magnitudine animi præstiterunt, ut recusaverint a Germaniæ Septemviris dignitatem Imperatoriam ad illos ultrò delatam. Nullam denique Augusto Regi laudem adsciscam, cujus in societatem se offerat vel fortuna, vel casus, nullam de eo, nisi propriam, nisi Regiam, nisi Christianam virtutem commemorabo, nisi quæ multùm ad gloriam nominis valeat, multùm ad conjecturam beatæ immortalitatis, ut Religionis est credere, ab illo adeptæ.

Quoties Augusti præclaram sanè & Regalem institutionem omnibus ad virtutem præsidiis atque ornamentis munitam, quoties adolescentiam recordor haud insolentem laborum, haud otio languidam, sed in palæstra atque in acie obfirmatam, & gloriæ cupidam atque appetentem, non possum non commoveri, non ferre graviter, quòd ea in illo virtutis indoles tantis erroribus obrueretur, atque in sanctissimæ Religionis obversaretur ignoratione. Occurrit illicò mihi imago calamitosæ pestis illius, quæ primùm se Wirtembergii in lucem effudit, quæ parva licet, & contemnenda principiis, nescio quo nostro fato immensas adeò vires atque alimenta collegit, ut citò Provinciæ fines egressa, longè latèque exultarit, & pervagata Germanias, & superato Alpium vallo, Italiæ oras attingere non sit verita. Tua verò inter cæteras crudelis & miseranda conditio videtur

detur

detur mihi præclara Saxonum Gens, quæ Germanorum cultiſſima, & pacis & belli artibus ac diſciplinâ ita florens, ut rerum geſtarum gloriâ, ut opulentiâ, nulli concedas, induſtriâ paucis, quòd cum ea in Te vis ingeniorum, ea doctrinæ ſit laus, Te aliquandò reſpiciens, ad ſanitatem non redeas, iſtamque mentem & obſoletam ſuperſtitionem non exuas. Quanquàm eſt nemo veſtrûm, ut arbitror, aut ita mente obcæcatus, aut tanto contra Nos odio inflammatus, qui non interdum ſe colligat, qui veritatem, a qua deſcivit, non recognoſcat. Eſt, eſt in animis omnium, accenſa ſemper & flagrans, quædam de Cælo hauſta lux, quam ſi conſulere, in quam ſi cernere atque intueri velimus, profectò, veluti ex improviſo ſolis adſpectu expergiſcimur, ita ab errore liberaremur. Senſit excelſus ille & ad veritatem formatus Auguſti animus, & agitare conſilia cœpit, perdendi prorſus abjiciendique pravas atque deformes de Religione opiniones, quas puerilibus annis imbiberat. Averſabatur nimirùm egregia Principis indoles doctrinarum perverſitatem atque incoſtantiam, & ſuſpicioſa erat illi in ſumma ſuperſtitione ſumma peccandi licentia, atque, ut audivi, inter alia demirabatur, poteſtatem Sacrorum ad Regni jura traductam. Non illi tamen, eximiâ quamvis atque præſtanti naturâ, non eſt humano conſilio, ſed Deo Optimo Maximo referendum acceptum, quòd veram denique Religionem inierit, quòd tanto Principe ad Nos recepto, tanta Romanæ Eccleſiæ ſit facta laudis atque utilitatis acceſſio. Deus enim, Deus, eam illi mentem injecit, ille volenti prætulit faces, adumbrataſque jam veritatis intelligentias evolvit atque enudavit, & ab immani ſuperſtitione, quam furor cæcus & corporis indulgentia & obſequium immiſit in mentes hominum, ad puriſſimam noſtræ Fidei diſciplinam traduxit, illumque cum poteſtate Chriſti Vicaria, quæ nunquam fallax eſt veritatis interpres, quæ morum vindex & caſtigatrix, ſtabili nexu reconciliavit. Quis perſequi aut exæquare dicendo poſſit jucunditatem lætitiæ, quæ univerſam Eccleſiam, quæ Gentes & terras omnes ab illa ſtan-

tes, tam exoptato nuncio pervasit. Vos ego testes appello Manes atque Umbræ priscorum Saxonum, & Vos Cælestes immortalesque Mentes & Genii, qui salutares atque præsentes estis Provinciæ, cui post acerba illa tempora nullus aut lætior dies aut felicior unquam illuxit, nullus, qui magis acceptæ cladis damna pensaret. Ipsa Templorum veterum simulacra, Aræque ipsæ Sacrorum, quanquàm aut exturbatæ, aut eversæ, se commovisse e ruinis, atque gestire sunt visæ. Tu verò, quàm gratulatus es Tibi, maxime Leopolde Cæsar Imperator, cum id contigerit tandem, quod votis omnibus es precatus, cujus Tu author consilii fueras, ut ad Romanam Ecclesiam se recepisset Augustus, quem grato animo, quem insigni benevolentiâ prosequebaris. Ejus Tu nempe fidem atque virtutem expertus, cum nemo unqam Tibi hostis fuerit, quem non & ille susceperit, in quem ab illo vel copias, vel commeatus, vel ipsam dexteram cum capitis etiam sui devotione, desideraveris. Quorum egregium illud commemorabo non in Te meritum tantùm, sed in Christianam Remp. quòd cum duobus & difficillimis quidem bellis impedireris, venire non recusavit Augustus in societatem periculi atque fortunæ, & magnâ lectissimâque suorum manu auxilio in Turcas adductâ Tibi, quanquàm alieno loco apud Temesiam congressus, ita pugnavit, ut ingenti prælio hostes fuderit, & bene feliciterque re gestâ totam Pannonici Belli rationem prope explicarit, & magnâ Te parte metus atque discriminis liberarit. Quòd si Romanos accepimus ob tot virtutum imagines eam & armorum felicitatem & Imperii amplitudinem consequutos, cur etiam præclaras illas excellentesque virtutes, quas in Augusto Religionis accessio perfecerat, Regio titulo remuneratas auctasque fuisse a Deo non putemus, præsertim cum id in Regnum fuerit evocatus, quo nullum benignæ illius atque præstanti naturæ posset accommodatius effingi? Polonorum, qui quondam Sarmatæ, Gens bellicosa & magnanima, Regiones obtinens fertiles & æquissimas, longè latèque porrectas, sita videtur esse propè divinitùs in Christiani Imperii limitibus
ad

ad propulsandam barbariem: Ea libertatis & gloriæ cupida jus illud, quod est initio omnibus inditum a natura facultatemque Reges sibi adsciscendi retinuit, illis in accipiendo Regno veluti nexu obligatis & recipientibus, ne quid aut gentis Religio aut Resp. aut leges deminuantur, immutenturve, & detrimentum accipiant. Suprema Regi juvandæ gentis potestas. Dignitates, Imperia, Provincias & Magistratus distribuundi impartiundi jus & arbitrium. Regale nomen ut prorsus invidiâ vacet, de Civium capite ac de fortunis judicium apud Senatum. Comitia Regi creando aguntur in campo. Equites, qui Poloniæ quamplurimi, in armis & centuriatim suffragia ferunt; Plebs nullo in numero habetur, utpote quæ universa mancipi est. Candidati Regno petendo tota ex Europa concurrunt, qui Stirpe, qui opibus, qui belli gloriâ maximè florent. Erant tum plurimi & apud illos gratiosi, nominis famâ, liberalitate, imaginibus. Sed vicit Augusti virtus, & pervagata de ejus in gratiam reditu cum Ecclesia non anceps vulgi rumoribus, sed comprobata gravissimis testimoniis, sed certa fama, quæ cum ad ejus commendationem accessit, consedere illæ turbidæ Comitiorum undæ & procellæ, illumque ad Regnum obsecundantes tulerunt. In provincia nimirùm finitima, & penè in oculis universæ Poloniæ, erant quasi divinitùs ad hoc positæ, ut spectarentur, ut sui mirabiles excitarent amores, Augusti summæ virtutes, facile ac mite ingenium, animus & benignus & liberalis, morum elegantia & suavitas, regalis & sumptuosa magnificentia, in pace æquitas, in imperio modestia, in bello vis, & alacritas, erat &, quæ multùm valet ad conjecturam virtutis, ea species oris & dignitas, ea corporis & membrorum habilitas atque robur, ut vel ex illa primæva gentium ratione, quâ iis potissimùm deferebatur imperium, qui formâ præstantes essent, & viribus editiores, facilè salutatus esset in Regem. Spes in Augusto magna & momentum erat ad rem gerendam adversùs Turcas, ducere in quos exercitum, quos ipse manu congressus in fugam vertere & profligare jam consuesset, quod illi tantam finitimos apud


Barba-

Barbaros authoritatem consciverat, ut, cum in Regnum advenerit, statim rapinis & excursionibus temperarint, pacem rogarint, & conditiones acceperint. Atque utinam in illos potiùs, quos alia in tempora reservarat ad pœnam, ut inclytæ & memorandæ voces testantur, quibus, cum diadema imponeretur, professus est, aut se moriturum, aut Kaminiekum ex hostibus recepturum, in illos, inquam, cogitationes & armorum vim convertisset potiùs, quàm sibi conatu infausto recuperandam a Sueca gente Livoniam proposuisset. Quod re vera ita bellum administravit Augustus, ut ea præclara rerum gestarum initia, vi captæ Urbes, in potestatem prope redacta Provincia, non ejus felicitati, at virtuti, extrema verò, quæ in Polonia acciderunt ejus non culpæ, at fortunæ sint tribuenda. Animus horret mihi, Oratio refugit, a memoria cladis illius, quam certè dissimularem, si non silentio prætereunda simul tunc esset ea laudum seges, quas excitavit illa calamitas, in quam si virtus non offendisset Augusti, tantam non illi gloriam, non tantam nobis admirationem ingereret. Spiritus enim Regios Majestatemque in afflictis & miseris illis rebus ita retinuit, ut tunc ediderit maximum atque admirabile celsi moderatique animi exemplum, quod potuisse confirmat Romanos homines eâ virtute inveniri, quantâ memoriæ proditum est. Augustus enim, cum habùisset in potestate, impetu quodam cæco temeritatis ad se delapsum, hostem superbum atque insultantem victoriâ, quicum de Regno ac de capite dimicarat, a quo durissimas conditiones subjerat, cujus inaudita prope consilia non Provinciæ, non Regna, capere poterant, non illum per vim oppressit, non intercepit, non captivum retinuit, ut saltem ad omnia cogeret, quæ violato atque offenso collibuissent, sed quem in acie atque in pugna ad mortem insectabatur, ab illo in id se præbente, manus abstinuit, hospesque, ut hospiti, dexteram inimico porrexit. Tantam non dico fidem, sed excellentiam virtutis, ipse cum se receperit e periculo Suecorum Rex admiratus, etsi victor, & fortunatus, & maximis rebus gestis magni

magni excelſique animi gloriâ, ſenſit a calamitoſo Rege ſe victum. Oh terram illam beatam, quæ talem Principem habuit, ingratam, quæ deſiderium illius, miſeram, quæ diſceſſum ſuſtinuit, fortunatiſſimam, quæ recepit amiſſum. Teſtis Polonia, quæ ſtudio maximo conſenſuque omnium ordinum, atque ætatum, obviam viſa eſt effundi, ut redeuntem amplecteretur Auguſtum, ut humeris penè ſuis reportaret in Regni Sedes. Ille verò ita lenem & moderatum ſe præbuit, ut ejus in Regnum reditu nemo ſit civis deſideratus in univerſa Polonia, niſi qui concidiſſet in acie. Omnes enim, qui vel in illum nefaria tela ſumpſiſſent, vel conjuraſſent, vel defeciſſent ad hoſtem, quique eo reverſo civilis belli rationem propè ſolutam expeditamque turbaſſent, non modò veniam ſunt conſequuti, ſed & benignè & amanter excepti, & honoribus cumulati ab illo, nihil præter injurias obliviſcente, cujus miſericordia, non lacrymis evocanda, non precibus, ipſa calamitoſis atque ſupplicibus occurrebat. Tantæ benignitatis adſpectu fluxerunt arma de manibus, conjurationis enſes delapſi, omnium ſunt animi deliniti, quodque ægrè vis præſtitiſſet, effecit beneficentia, cujus in voluntates imperium & dominatus, & latiùs patet, & firmior eſt, quàm timoris, qui ſe potentiæ nec fidum præbet nec diuturnum cuſtodem. Quod ſi nullâ re propiùs ad immortalem atque divinam naturam accedunt Reges, quàm ſalute hominibus dandâ, ſi miſericordia, ſi lenitas, eam a Deo gratiam ineunt, ut illum Nobis placabiliorem efficiant, ampliſſimos certè fructus capiet Auguſtus ingenii ſui, cui nihil tam uſitatum, quàm parcere, nihil tam populare, quàm gratiâ frangere inimicitias, & beneficiorum vinculis obligare. Harum affines in illo erant & tanquam ſociæ virtutum liberalitas & magnificentia. Natos in copia Reges atque in fortunis rectè putabat Auguſtus, ut opes, ut Regni quæſtus ab illis in omnem populum dimanarent. Ejus inauditæ atque immenſæ pecuniarum effuſiones, militaria ſpectacula, data exercitibus epula, ſplendida hoſpitia, teſtantur animi magnitudinem, qui Regnum ſibi non

non fructuosum, verum se ipsum Regno, maximo in fructu esse gloriosum existimabat. Extant æterna illius benefacta in universam Saxoniam, erectæ artes, instaurata gymnasia, amplificatum commercium, vectigalium ita res constituta, ut sine Gentis querela magnos exercitus alere continenter potuerit. Extat Religio, quâ nullum divinius bonum intulit Genti, extant Ecclesiæ Ritus, & Cœremoniæ Sacrorum, quas abjectas & exulantes restituit, dedicatisque publicè Templis ornavit. Quo verò obsequio, quâ fide Romanos ille Pontifices observarit, integer ejus vitæ Regnique cursus demonstrat, quem demum ita peregit, ut in extremo spiritu optimum & Christianum verè se Regem profiteretur. Quæ igitiur tanta mihi dicendi vis, ut laudationem absolvere? Quæ Polonis, & quæ Saxonibus, tantæ sufficient lacrymæ, ut funus prosequi possint, & desiderium Augusti, in quo defecit Ecclesiæ maximum ornamentùm, defecit illis magnanimi & summi Regis exemplum? Id unum restat, ut ad Te mea se convertat & Te compellet Oratio, egregie Princeps, Augusti Fili, qui non avitum tantùm Imperium in Saxones & dignitatem a Patre, sed gloriam amplificati etiam nominis accepisti, & paternarum virtutum imagines in Te referens, magnam de Te susceptam expectationem sustentas. Paternæ Tu voluntatis in Religionem amplissimum testimonium, Tu beneficium exhibes Nobis, quo nullum Augustus contulit in Ecclesiam præstantius. Fatalis enim cum inhæreret illa in Te macula superstitionis ab ineunte ætate concepta, quæ si penitùs insideret atque adolesceret, heu quantam virtutis indolem, quantam spem oppressisset, in id enixè contendit optimus Pater, ut illa ex animo tuo deletâ abstersâque, geminâ Te donaret & Religionis & vitæ luce. Quantas in id incumbens difficultates incurrit, cum Tibi depravatores adolescentiæ submovit, institutores ad veritatem præfecit, cum e complexu Te Genitricis avulsum, Regali procul emisit e domicilio, ut Urbes Catholicorum Regum obires, mores inviseres, & magna famâ, magnâ apud omnes benevolentiâ excitatâ,

citatâ, in hac demùm Italiæ luce, repudiatis erroribus, & sanctissimam Religionem complexus, amantissimum Patris & Tui Pontificem illum maximum tam exoptato reditu in gratiam consolareris. Quæ verò magna & excelsa sibi de Te pollicitus ille est, ea maximus nunc expectat & sapientissimus Pontifex Clemens XII., qui universam Saxonum Gentem suæ voluntatis insignibus monumentis ornavit, qui summâ Te benevolentiâ prosequitur, qui Genitori parentans, ut a dolore se recreet, cogitationes in Te defigit, atque in Te spectat, in quo Polonia Patris imaginem, in quo Saxonia virtutem, in quo Religio præsidium, in quo denique habemus omnes, unde possimus magnanimi & præstantissimi Regis intempestivâ morte Nobis inustam acerbitatem & desiderium lenire.



R O M Æ

Apud Jo: MARIAM SALVIONI Typographum VATICANUM.

M DCC XXXIII.

Superiorum Permissu.

1733

